UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§. 11. Crux perpetuus est Prædicator nobis indicans quæ facienda conueniant. Nobis etiam exponit quid sit peccatum, qualis sit amor Dei: nec non docet nos patientiam, obedientiam, pietatem amoremque ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

Visual Library

vinces. Si proceſſum intendas, ſi fauſtam negotiorum tuorum directionem exoptes &c. *In hoc ſigno vinces.*

§. II. *Crux perpetuus eſt Prædicator nobis indicans quæ facienda conueniant. Nobis etiam exponit quid ſit peccatum, qualis ſit amor Dei: nec non docet nos patientiam, obedientiam, pietatem amoremque inimicorum.*

QVarum adducimus; ſignum eſt quod tibi eius teſtificat memoriam quod agendum eſt, atque velut perpetuus Prædicator tibi quod expediat ſignificat. Conſulit omnibus prudentiſſimè D. Chryſoſtom. vt ſecum ſi fieri poſſit, ſemper deferant crucis inſigne, *Signum Crucis.* Si non, ſaltem ex alia materia; tam propter prædictos effectus, quàm vt tecum habeas Prædicatorem, qui muto ſilentio diſtinctiùs loquitur quàm omnes eloquentiſſimi totius orbis loquuntur oratores. Crux hæc tibi declarabit, ſi attentas præbueris aures, quid ſit peccatum; quandoquidem ad eius remedium neceſſarium fuerit in ea Deum occumbere, quanta ſit Chriſti gratia, cum vt eam tibi refunderet, requireretur, vt ipſe ſuum in illa profunderet ſanguinem. Ipſa tibi demonſtrabit qualis ſit amor Dei, quo vitam pro ſuis expoſuit inimicis. Ipſa te docebit patientiam, obedientiam, pietatem, dilectionem inimicorum; quâ de cauſa, vt aliâs diximus vocatur à D. Chryſoſtomo; *Crux iuſtorum conſiliarius.* Quàm ſapienter egit Princeps ille Syriæ Naaman; cum enim per Eliſeum à lepra ſua emundatus eſſet, abire recuſauit, niſi prius ſecum duorum onus burdonum de tellure conferret, quod ſibi Propheta conceſſit, dum ſuper hoc conſilium ab eo expoſcit, quatenus reuerſus in Syriam ab idolis poſt hac non falleretur, nec eum Regis furor auerteret, vt illi demonſtraret, terram illam quam ſecum deferebat, pedibus calcatam Eliſei, verum futurum illi prædicatorem; ſicut in noſtris Tractatibus expoſuimus. Inſignis profectò Prædicator, quo Naaman in ſeruitio fideque Dei Iſraël conſtans perſeueraret, erat tellus illa quam pedibus calcabat Eliſeus, & per quam animæ ſuæ ſalutem eſt aſſecutus. Tecum defer terram illam, quam tecum calcauit Eliſeus Chriſtus Dominus, S. Crucem intelligo. Hæc illa terra eſt, quæ illum ſuſtinuit firmumque roborauit; hæc illi lectulus in quo mortem oppetiit; illum tecum deferto; vtinam illum auſcultares, qualiter tibi prædicaret, quando diabolus te ad inhoneſta pellicit, vt in mentem tibi veniat, quàm carò Deo pia ſteterit emundatio; quandoquidem vt illam obtineres ſanguinem ſuum fuderit in lauacrum; *Vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam:* quam vt venuſtam pulchramque redderet aquam & ſanguinem cordis ſui tradere non dubitauit. Quàm efficaciter tibi proponeret, vt pauperi à te eleemoſynam flagitanti eam largireris cum ea quam tibi in Cruce præſtitit Deus, fuerit vitæ ſuæ & ſanguinis effuſiſſima, manus retinens perforatas. Quam concinnas tibi rationes proponeret, dum ab ira vehementer nimis incandeſcis: vt patientiam conſideres, quam in illa Dei filius obmuteſcens oſtendit; vt nec in vno quidem verbo tot eum potuerint calumniæ & iniuriæ perturbare. Idola lignea muta erant: *Os habent & non loquentur.* Crux autem lignea ita diuina pollet eloquentia, vt in ipſa tibi ſanguis loquatur à Chriſto profuſus: *Melius loquentem quàm Abel.* Veteres illi Idololatræ ligna conſulebant, erant etenim eorum idola ex ligno fabricata, nec eos poterant inſtruere. Accede, percunctare, & conſule Crucem &c.

Epheſ. 5.27.

Pſ. 113. 5.

Hebr. 12.24.

His tandem finem imponamus ſacra illa Crucis Litaniâ quam D. Chryſoſtom. compoſuit, in quâ ex epithetis, quibus illam deſcribit & honorat, eius poteris virtutem agnoſcere: *Et ſi noſſe deſideras chariſſime, virtutem Crucis, & quanta poſſim ad eius laudem dicere, audi Crux ſpes Chriſtianorum. Crux reſurrectio mortuorum. Crux cæcorum dux. Crux deſperatorum via. Crux claudorum baculus. Crux conſolatio pauperum. Crux refrenatio diuitum. Crux deſtructio ſuperborum. Crux male viuentium pœna. Crux aduerſus dæmones triumphus. Crux deuictio diaboli. Crux adoleſcentum pædagogus; Crux ſuſtentatio inopum. Crux ſpes deſperatorum. Crux nauigantium gubernator. Crux periclitantium portus. Crux obſeſſorum murus. Crux pater orphanorum. Crux defenſor viduarum. Crux iuſtorum conſiliarius. Crux tribulatorum requies. Crux paruulorum cuſtos. Crux virorum caput. Crux ſenum finis. Crux lumen in tenebris ſedentium. Crux Regum magnificentia. Crux ſcutum perpetuum. Crux inſenſatorum ſapientia. Crux libertas ſeruorum. Crux Imperatorum Philoſophia. Crux lex impiorum. Crux Prophetarum præconatio. Crux annuntiatio Apoſtolorum. Crux martyrum gloriatio. Crux monachorum abſtinentia. Crux Virginum caſtitas. Crux gaudium Sacerdotum. Crux Eccleſiæ fundamentum.*

10. III. Litaniæ S. Crucis. D. Chryſ. Ho. de Cruce. Tom. 3.

tum. Crux orbis terræ cautela. Crux templorum ſtructio. Crux idolorum repulſio Crux ſcandalum Iudæorum. Crux perditio impiorum. Crux inualidorum virtus. Crux ægrotantium medicus. Crux emundatio leproſorum. Crux paralyticorum requies. Crux eſurientium panis. Crux ſitientium fons. Crux nudorum protectio.

IV. Diaboli conatus cõtra crucẽ. Ser. 56.

Optimè diabolus hanc nouit Crucis virtutem, & quanti nobis hoc ſignum referat: cum nullum non mouerit lapidem ſub quo theſaurum hunc omnibus incognitum abſconderet, atque ab Eccleſiæ oculis procul amoueret. Non hoc eum latebat, inquit D. Ambroſ. nauim ſine malo non poſſe nauigare, nec vela vento dare ſed certiſſime perituram: Eccleſia ſine Cruce nauis eſt malo deſtituta: hunc naui auferamus & tranquilla manens ventorum exponetur iniuriis. Et hoc callebat, Crucem exercitus Chriſtiani eſſe vexillum; milites deperdito vexillo animo langueſcunt, fugamque arripiunt. Tantas adhibuit vires vt permittente Deo ad ampliorem nominis ſui gloriam, eam ſub terra Iudæorum manibus occuluerit, idque tanto temporum interuallo, vt nulla de Cruce memoria ſupereſſet. Quocirca proditor hic inimicus, vt refert D. Ambroſ. aduertens plurimos Chriſtianos ad locum illum confluere oraturos qui eo modo Crucis viuam ſeruarent memoriam, Gentiles excitauit vt in eodem loco templum Deæ Veneri erectum conſecrarent: vt inde ſic Chriſtianos expelleret, nec ampliùs eò conuenirent; ne quis forte ſibi perſuaderet eos Deæ Veneri honorem exhibere: quo factum eſt vt quaſi omniſa memoria interierit loci in quo S. Crux latebat abſcondita.

Porro quando Domino placuit ſuam hoc theſauro lætificare Eccleſiam, Reginam excitauit Helenam, eamque in ſomnis admonuit, vt Hieroſolymam tenderet theſaurum hunc quæſitura: vbi illum magna adhibitâ diligentia tandem inuenit: atque ad certiorem confirmationem, quòd illa eadem eſſet, in quâ Chriſtus expirauerat, diuina patrata legimus miracula; vt merito canere liceat Eccleſiæ: *In præclara ſalutiferæ Crucis inuentione, Paſſionis tuæ miracula ſuſcitaſti.* O beneficium eminentiſſimum! Iubilemus, lætemur & exultemus tali ditati theſauro, tali ſigno muniti, talique vexillo ad pugnam animati, & canamuſque ſemper: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi; quia per S. Crucem tuam redemiſti mundum,* perfecta Redemptione in hac vita per gratiam, atque per gloriam in altera ſempiternam. Amen.

FINIS TOMI QVARTI ET VLTIMI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN